



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

609. An etiam obligatio fidejussoris dati in favorem primi pensionarii translata pensione perseveret, & fidejussor transeat in favorem translatarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

4. Porro hic notandum, quod omnia indulta transferendi pensionem, quæ non in ipsa reservatione pensionis, sed ad partem conceduntur, regulariter expédiantur per Breve sub annulo piscatoris, cujus literæ nemini nisi ipsimet transferenti in forma gratiosa diriguntur, cum deputacione tamen Executoris per ipsum transferentem eligendi. Corrad. l. 5. c. 5. n. 12. Item notandum ex eodem. n. 14. concedi quandoque hanc facultatem transferendi cum clausula: *etiam literis super reservatione pensionis non expeditis*, v. g. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis Capellæ pontificiæ assistentibus, Capellanis Papæ, ejusdemque Cubiculariis, familiaribus, & continuis commensalibus, aliisque personis illi charis. Qui tamen, si habeant facultatem transferendi cum dicta clausula pensionem ducentorum imperialium, non poterunt adhuc transferre pensionem plurium imperialium sine expeditis literis.

Quæstio 608. An eadem sit pensio in translatorio, quæ fuit in transferente?

1. **R**espondeo primo: Loquendo de pensione accepta pro jure activo exigendi certam quantitatem pecuniæ, uti de eo loquuntur AA. mox citandi, non esse eandem pensionem, sed per translationem jus transferentis seu pensionem antiquam extingui, & dein constitui seu reservari translatorio jus novum omnino, simile in conditionibus antiquo, seu antiquæ pensioni. Castrop. cit. §. 9. nu. 2. Parisi. l. 6. q. 4. nu. 7. Garc. p. 1. c. 5. nu. 255. Azor. p. 2. l. 8. c. 9. q. 1. Lott. l. 1. q. 36. nu. 64. & 65. & 78. Siquidem in pensionibus non datur vacatio, ita ut in rerum natura remaneat, nullo eam possidente, uti contingit in beneficiis; quia non sunt jura realia & perpetua, sed temporalia & personalia, ac proinde mutatis personis hæc ipsa jura mutantur, intellige numericè. Et certè si idem omnino numero jus in translatorio esset, quod erat in transferente, mortuo transferente periret jus translatorii, quia transferens habebat jus pensionis pro sua tantum vita, & consequenter non poterat ultra vitam propriam jus translatorio concedere. Castrop. loc. cit. Proinde jam transferens non cedit jure suo, ut illud idem jus numero cessum sit in translatorio, sed ut aliud omnino simile sit in eo, quod, quia propter hanc omnimodam similitudinem virtualiter est idem cum antiquo, adhuc dicitur translatio. Ita ut etiam, ait Lott. loc. cit. num. 7. quia hæc extinctio est momentanea, nec fit tam ad finem amittendi; quam acquirendi eam alteri, habenda non fit in consideratione. Neque opponi potest, quod census non variantur per hoc, quod ex uno in alium transferantur; nam verum id est de censibus perpetuis, qui non variantur ex mutatione Casualitatis, quemadmodum Beneficia non mutantur ex mutatione beneficiariorum, quia personis non annectuntur; falsum tamen est in censibus non perpetuis, ut patet in censu vitalitio, & similibus, qui cum persona, cui solvuntur, extinguuntur, non secus ac usufructus cum usufructuario, quibus proinde pensiones ad vitam pensionarii et annexæ assimilantur. Castrop. loc. cit. Neque opponi potest, quod census non varietur ex mutatione hypothecæ. Nam unitas census non tam ex hypothecæ, quam ex obligatione debitoris desumitur, quæ, cum sit & maneat eadem mutatis hypothecis, census est idem; at unitas pensionis

P. Leuren, Fori Benef. Tom. III.

ex unitate pensionarii desumitur, dum eo pereunte perit. Castrop. loc. cit.

2. Respondeo secundo: Loquendo tamen de pensione, pro ut est subjectum, & materia ipsa, in quam jus illud activum exercetur, sive prout est jus passivum, seu obligatio solvendi in titulari, est & manet semper eadem, & in effectu non extinguitur, nec alteratur per translationem, & mutationem pensionariorum, sed manet idem onus, eademque servitus beneficio in suo fundamento; & sic dicitur non inferri novum gravamen beneficio, aut titulari, sed ad summum dicitur hæc pensio seu obligatio renovari (renovatione tamen, quæ non efficit, ut exinde nova dicatur pensio) & simpliciter solum insinuari titulari, cui deinceps debeat solvere pensionem. Lott. loc. cit. à n. 66. Unde jam etiam, cum dicta obligatio maneat eadem in titulari, & quamvis jus illud activum in translatorio, seu pensio respectu translatorii non fit eadem numero, sit tamen ejusdem omnino rationis cum ea, quæ fuit in transferente; jam omnes derogationes, & decreta concernentia substantiam, & validitatem pensionis ab initio semper durant post translationem. Lott. n. 71. ex Crescent. decis. 1. n. 3. de reb. Eccles. non alienand.

Quæstio 609. An igitur etiam obligatio fidejussoris dati in favorem primi pensionarii, translata pensione perseveret, & fidejussor transeat in favorem translatorii?

Respondeo negativè: Prorogatio siquidem fidejussoris ex sola fidejussoris voluntate pendet, & non ex voluntate pensionarii transferentis, aut Papæ; adeoque cum fidejussor fidejussionem solum dederit, & interposuerit in favorem primi pensionarii, nequaquam extendenda ad favorem secundi, seu translatorii. Castrop. loc. cit. n. 3. Garc. loc. cit. nu. 247. id fusiùs Rotæ decisionibus comprobans. Contrarium tamen tradit Lott. l. 1. q. 36. n. 77. ubi: respectu titularis semper censetur eadem pensio, ideòque nedum ejus obligationem, sed etiam accessorias fidejussorum perdurare, uti id latissimè decisum in Segobien. pens. 20. Maii 1598. (quam fusè recitatam vide apud Garc. loc. cit. nu. 277.) ubi expressè dicitur: obligatio fidejussorum pensionis ad favorem nominati, qui eam tunc translulerat, extenditur ad translatorios cum omnibus decretis, & clausulis in reservatione contentis &c.

Quæstio 610. An transeat quoque in translatorium quasi possessio transferentis, vel saltem in quo ea deserviat translatorio?

1. **R**espondeo ad primum negativè: Siquidem hæc quasi possessio alio modo in eum non transit, nec transire potest, quam possessio defuncti in hæredes, scilicet post apprehensam possessionem, Lott. l. 1. q. 40. num. 354. ubi: in translatorium non transfertur pensio, quæ fuerat apud transferentem; illa enim fuit extincta eo ipso momento, quo transferens desit habere animum possidendi; unde translatorio sine nova apprehensione quæri non potest; & hinc respectu hujus possessionis dici non potest translarius. citat pro hoc Rotam in Neritonens. pens. 5. Nov. 1601, quam quoque recitat Garc. p. 1. c. 5. n. 472. Idem docet Lott. l. 1. q. 36. n. 119. ubi etiam subjungit, à n. 120. hinc sequi,

Cc

qui,